

VERSION LATINE

Soins prodigués à Alexandre après une grave blessure

Rege in tabernaculum relato medici lignum sagittae corpori infixum ita, ne spiculum moueretur, abscidunt. Corpore deinde nudato animaduertunt hamos inesse telo, nec aliter id sine pernicie corporis extrahi posse quam ut secando uulnus auferent. Ceterum, ne secantes profluium sanguinis occuparet uerebantur, quippe ingens telum adactum erat et penetrasse in uiscera uidebatur. Critobulus, inter medicos artis eximiae, sed in tanto periculo territus, admouere metuebat manus, ne in ipsius caput parum prosperae curationis recideret euentus. Lacrimantem eum ac metuentem et sollicitudine propemodum exanguem rex conspexerat : « Quid, inquit, quodue tempus expectas, et non quam primum hoc dolore me saltem moriturum liberas ? An times ne reus sis, cum insanabile uulnus acceperim ? » At Critobulus tandem uel finito uel dissimulato metu hortari eum coepit ut se continendum praeberet, dum spiculum euelleret : etiam leuem corporis motum noxium fore. Rex, cum adfirmasset nihil opus esse iis qui semet continerent, sicut praeceptum erat, sine motu praebuit corpus. Igitur, patefacto latius uulnere et spiculo euolso, ingens uis sanguinis manare coepit linqiue animo rex et, caligine oculis offusa, uelut moribundus extendi. Cumque profluium medicamentis frustra inhiherent, clamor simul atque ploratus amicorum oritur regem expirasse credentium. Tandem constitit sanguis, paulatimque animum recepit et circumstantes coepit agnoscere. Toto eo die ac nocte quae secuta est armatus exercitus regiam obsedit, confessus omnes unius spiritu uiuere ; nec prius recesserunt quam compertum est somno paulisper adquiescere.

Quinte-Curce, *Histoire d'Alexandre* IX 5 (227 mots)